



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 1. An ad assensum fidei sufficiant motiva
credibilitatis probabilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

rei falsa, verè tamen credibilis, ut si duo vel tres fide digni, eam asserant. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Nam non dat rationem Communem credibilitatis, quæ conveniat, tam iis, quæ à parte rei vera non sunt, quàm iis quæ à parte rei sunt nonnisi vera, unde explicat genus per speciem.

Potius itaque nomine veri venire debet conformitas cum objecto, loquendo de vero formali, & nomine credibilitatis, omne illud, quod inducit ad hoc ut moveri velimus motivo fidei; vel strictius loquendo est innitentia motivis credibilitatis, & rationibus moralibus, quæ inducunt credendum esse & in concreto loquendo, credendum esse, quod hoc DEUS dixerit.

DIFFICULTAS I.

Qualia debent esse motiva credibilitatis?

DEBERE esse evidenter credibile objectum fidei, docet Suar. Hurt. Kon. d. 17. dub. 1. Amicus, d. 3. Lugo, dub. 5. S. 1. Censetur Capreol. negasse requiri evidentiam. Canus requirebat evidentiam nonnisi ut plurimum, & noster Valent. hic q. 1. p. 4. docet sufficere evidentiam credibilitatis, quæ sit talis in potentia proxima, ex qua scilicet posita, facile posset colligi evidentia credibilitatis. Pont. d. 88. tenet Mysteria fidei nostræ evidenter credibilia, licet iudicium non debeat esse semper, ut docet n. 13. moraliter evidens & certum.

Punctum Difficultatis I.

An ad Assensum fidei sufficiant motiva credibilitatis probabilia?

DICENDUM est. *Ad assensum fidei non sufficere motiva credibilitatis solum probabilia.*

PROBATUR Primò. Si sufficerent motiva credibilitatis nonnisi probabilia ad fidem Divinam, sufficeret etiam iudicium nonnisi probabile: nam ex una parte, non possunt illa motiva movere nisi ad iudicium probabile, hoc ipso enim non salvaretur motiva illa esse probabilia. Ex altera parte non esset ratio, ut si ad fidem sufficiat etiam iudicium probabile. Sed iudicium probabile non sufficit ad assensum fidei: quia illo solo posito, non posset imperari certissimus actus, quod probatur. Quia & imperaretur actus certissimus ut supponitur; imperaretur enim actus fidei qui certissimus est, & non imperaretur certissimus: quia certissimum est, quod iudicatur tale, ut oppositum illius non sit probabile, sed per iudicium probabile, non potest imperari actus, cuius oppositum non sit probabile: quia & esset iudicium illud probabile ut supponitur, & non esset probabile: quia ex eo ipso quod imperetur actus, cuius oppositum non sit

probabile, non est probabile; probabile enim dicit utramque partem posse subsistere; quod non habetur in iudicio, ratione cuius, imperatur, nonnisi actus certissimus.

PROBATUR Secundò. Voluntas quæ dicit: fac actum fidei, debet habere sibi præsentatum motivum, quod præsentet, hoc esse certissimum, sed tale motivum non est probabile: hoc ipso enim non esset probabile sed certissimum. Et certe esset semper rationabilis excusatio in intellectu, non prodeundi ad actum certissimum, cum non sit convictus, quòd illum debeat elicere, habendo nonnisi probabilitatem, quòd debeat illum elicere; esset etiam excusatio in voluntate ne imperet actum certissimum: quia non præsentatur illi ulla evidentia & certitudo, sed sola probabilitas: hinc solà probabilitate illustrata, probabilem nonnisi posset imperare assensum.

PROBATUR Tertiò. Communiter ex absurdis. Tum quia sequeretur facta sufficienti propositione fidei, non teneri aliquem ad credendum; quia in probabilibus, potest quis sequi oppositam partem. Tum quia fidelis posset recedere à sua fide sine peccato: quia licet probabilem sententiam sequi. Tum quia in probabilibus pro utraque parte cum processu temporis crescere possunt majores probabilitates, consequenter, etiam contra res fidei.

OBJICITUR Primò à Pari. Potest aliquis prudenter cultu latriæ adorare hostiam, quamvis eliciat hunc actum; fortè hæc hostia non est consecrata. Ergo etiam potest fieri actus fidei, quantumvis interveniat ille actus, fortassis non est hoc revelatum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia ad exhibendum latriæ cultum, non est necesse certissimum reddi adorantem; quia hæc obligatio nec ex ratione, nec ex auctoritate constat. Sed sufficit ipsum prudenter nonnisi operari; adeoque secundum hic & nunc, ut superius dictum. Jam autem actus fidei, debet esse certissimus; hinc fit, ut iudicium antecedens imperium Voluntatis, debeat ostendere, ita rem esse, & non non tantum probabilem esse.

OBJICITUR Secundò. Potest ipsa obligatio credendi, adeoque exhibendi actum certissimum, nonnisi probabiliter iudicari; ad eum modum, quo motivum scientificum, potest nonnisi probabile apprehendi, & dici v.g. probabile est, hoc esse demonstrationem. Et sicut in problematicis sententiis, potest utraque pars defendi, & iudicari probabiliter vera. Ergo etiam poterit iudicari probabile esse, quod debeat poni actus certissimus fidei.

RESPONDETUR. Tale iudicium secundum quod aliquis iudicet probabiliter se hic & nunc obligari ad ponendum actum certissimum fidei, vel non ponendum, intervenire in omni deliberatione de credendo, sed nego intervenire

nire posse conclusâ deliberatione, ut concludi debet quando imperandus est actus certissimus. Ratio quia prius illud iudicium, hoc ipso quia deliberativum est, attendit ad rationes utriusque partis; fierique potest ut iudicet aliquis certissimum esse perpenſis rationibus unius partis, & non iudicet esse certissimum attentis rationibus aliâ partis. Quia verò iudicium illud, post quod imperatur actus certissimus, non est deliberativum, nec attendit ad rationes oppositæ partis, imò eas refellit, adimitque illis vim movendi sui, in oppositum; hinc fit, ut illud iudicium, præcedens imperium actus certissimi, & ipsum debeat esse certissimum. Et sicut si iudicem probabile est, quod hoc, sit demonstratio, non possum dicere, est hoc certissime demonstratio, ita si iudico probabile esse, quod hæc sit revelata, non possum vi illius dicere, certissime esse hoc revelatum. Adde probabilem demonstrationem, non esse demonstrationem. Quia demonstratio est scientia, seu est faciens scire, quod autem me facit scire, non facit me opinari. Instantiæ allatæ, probant id, quod intendimus: nam sicut motivum scientificum non debet apprehendi tanquam probabile, sed tanquam scientificum, ut fundet scientiam; ita iudicium illud ut præcedat imperium actus certissimi, non debet formari ut probabile, sed ut certum.

OBJICITUR Tertiò. Iudicium illud, quod dicitur imperandum esse actum certissimum, licet cognoscat & affirmet obligationem illam credendi, non tamen cognoscit & affirmat evidentiam & certitudinem sui, nec se reflectit, ut affirmet certitudinem & evidentiam sui. Ergo obligatio credendi, non includit in se essentialiter iudicii evidentiam de obligatione, aliâ iudicium illud non posset affirmare obligationem, quin affirmet etiam seipsum, & suam evidentiam. Ergo ulterius poterit totum objectum affirmatum illo iudicio evidenti affirmari verè, etiam per iudicium probabile. Ergo etiam absque iudicio evidenti poterit intellectus proponere obligationem credendi firmissimè. Ergo & voluntas prudenter poterit imperare assensum firmissimum, cum haberet idem prorsus motivum imperandi, quod nunc habet; nempe obligationem & honestatem credendi.

RESPONDETUR. Missâ doctrinâ in hoc genere Lugonis, responderetur inquam, quod iudicium illud, quod dicitur imperandum esse actum certissimum fidei, affirmando & cognoscendo illam obligationem credendi, affirmet & cognoscat se ipsam, non quidem formaliter & clarè, sed virtualiter & confusè, ad eum modum quo sciens aliquid demonstrativè, debet scire quod sciat, licet hoc ipsum non formaliter & clarè, nec reflexè percipiat: censetur id tamen vi valiter apprehendere, quia ponit talem & eo modo actum, ut si ex vi illius actus & modi

tendendi, promptus ad eliciendum formalem hunc actum, quo dicat: se scire, quod sciat. Ad primam illationem ex dictis habetur responſio, quod scilicet obligatio illa credendi, non includat essentialiter iudicii evidentiam, se ipsam formaliter & clarè apprehendens, involvit tamen iudicium, se & suam certitudinem virtualiter & confusè apprehendens, non apprehendendo eam evidentiam tanquam aliquid essentialiter, & per modum partis complementis obligationem, sed tanquam aliquid applicans ultimò illam obligationem. Secundâ autem illatione transit. Nego Tertiam. Ratio negandi ex dictis est: quia scilicet illud iudicium & esset sufficiens ut imperetur actus certissimus: & non esset sufficiens, ex dictis immediatè. Et licet habeat idem motivum illud iudicium probabile, quod motivum habet iudicium evidens, non tamen habet motivum eodem modo movens, ad eum modum; quo idem est motivum penetrantis terminos demonstrationis, & non penetrantis, sed alio modo movens; quia scilicet terminus demonstrationis penetrati, habent simul vim adimendi, (ut ita dicam) præteritum ius in contradictorio objecto, ad movendum in oppositum; idque præstando quantum ex vi illius motivi; sic etiam iudicium illud evidens, quamvis habeat idem motivum cum probabili, alio tamen modo est movens: movetur enim illo ita, ut excludat probabilitatem in oppositum, & non nisi in unam partem fertur, quantum ex illo. Quia verò dixi, quod sufficiat illam evidentiam virtualiter & confusè apprehendi, non erit necesse dari processum in infinitum in illis iudiciis: quanquam hic processus, concessâ illâ clarâ evidentia; non sequetur in infinitum, sicut non sequitur quando sciens clarè & distinctè facit hunc actum: scio me scire.

OBJICITUR Quartò. Ex una parte, posito quod non nisi probabili iudicio ad veram me obligari ad ponendum actum certissimum, excusor tunc ab illo ponendo, quando per cognitionem reflexam cognosco hoc, non nisi probabile esse. Ex altera parte fieri potest; quod ego non habeam cognitionem reflexam supra meum iudicium, quod non nisi probabile sit: quo casu, non excusabor ab obligatione ponendi actum certissimum. Ergo tunc dabitur obligatio credendi, cum solo iudicio probabili de obligatione credendi.

RESPONDETUR. Quamvis aliquis non habeat iudicium formale & distinctum, quo iudicet se excusari ab obligatione ponendi actum certissimum, sufficit tamen quod in modo ipso assentiendi, includatur virtualiter & confusè, quod hoc sit iudicium non nisi probabile: hoc ipso enim quod determinatè non noscitur ponendum esse actum certissimum, adest excusatio de illo non ponendo, ad eum modum, quo qui non benè penetrat terminos demonstratio-

R. P.
THE MŁOD
zia nowski
Tom de Z:
D. VI

nis, à ponendo assensu excusatur, non per ipsam reflexam cognitionem, de non penetratis terminis, sed excusatur ipso modo apprehendendi terminos, incluso, in ipsa illa notitia præsentis, quam habet.

OBJICITUR Quintò. Nonne per nos potest stare opinio cum fide. Ergo non est necesse ut iudicium illud præcedens imperium, sit nonnisi certissimum.

RESPONDETUR. Concedo quod opinio possit stare cum fide, sed nego quòd opinio possit imperare actum fidei, de quo est quæstio.

Punctum Difficultatis 2.

An ad assensum fidei requiruntur motiva credibilitatis certa?

SUB hoc titulo ponetur nonnisi continuatio præteritæ conclusionis. *Hinc*

DICENDUM est. *Ante assensum fidei præcedere debere iudicium evidens.* Est conclusio S. Th. hic art. 4. ad 2. *Non enim inquit quis crederet, nisi videret, ea esse, credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi:* ubi Ly videtur, idem significat, quod evidenter cognosceret.

PROBATUR Primò Auctoritate. *Testimonia sua* inquit David Psal. 93. *credibilia facta sunt nimis;* nimis autem credibilia non essent: si certò credibilia non essent. Idem indicat locus ille ad Galat. 1. qui certè non concluderet; quis enim Angelo potius credere noller dicens, nisi nosceret evidenter oppositum. Christusque ipse dicit *Nunc autem excusationem non habent,* quod non dixisset, si evidentiam non haberent; nam in probabili, unusquisque excusatur.

PROBATUR Secundò. Quia iudicium illud non potest esse probabile ut supra probatum. Ergo debet esse certum.

PROBATUR Tertiò. Ante imperium voluntatis imperans actum fidei, vel præluxit iudicium, iudicans, debere imperari actum certissimum, vel non præluxit. Si non præluxit. Ergo aliquid erat volitum quod non erat cognitum; si autem præluxit iudicium, quod dictabat debere imperari actum certissimum, tunc quæro, vel illud iudicium dictabat sibi evidens esse, quòd deberet imperari actus certissimus, vel non dictabat sibi evidens id esse: si dictabat id sibi evidens esse, Ergo non fuit probabile: quia probabilitas, sicut certitudinem, ita & evidentiam excludit. Si autem iudicium illud non dictabat id sibi evidens esse, quòd deberet exhiberi actus certissimus. Ergo sola determinatione voluntatis factum est, ut exhiberetur actus certissimus. Ergo ille actus fidei est irrationabilis, quòd nemo dixerit. Quòd autem ille actus irrationabilis sit. Ratio est. Quia & voluntas ita credendi vituperabilis est: quia jubet intellectui ut maximo nisu feratur, cum præcedat iudicium, non esse necesse, ut tanto nisu feratur; Et sicut irrationabiliter facit homo &

peccat, imperando sibi maiorem amorem rei creatæ, quàm dicat illi lumen rectum intellectus: sic peccabit, & irrationabiliter operabitur, imperando maiorem certitudinem, quàm illi appareat. Ex alio etiam capite defectuosum esset illud imperium: quia vellet agere contra naturam habitus, sibi à Deo infusi, volendo illo abuti, abuti autem vellet; quia vellet ponere exercitium habitus fidei, contra naturam ejusdem: natura enim ejus est, non operari sine prævio dictamine prudentiæ supernaturalis, quòd tunc non habetur; dictat enim prudentia, imprudens esse, tanto nisu velle ferri intellectum, cum non habeatur evidentia, quòd tanto nisu ferri debeat; dictatque prudentia, quòd non debeat se homo exponere periculo in re gravissima errandi, accipiendo Deum in testem, non agendo tamen cum omni diligentia, exponendoque se periculo ad præbendum assensum, talem, etiam rei falsæ, qualis nonnisi soli DEO præberi debet.

COLLIGES. Cum in unoquoque, saltem ratione motivi, actus fidei debeat esse certissimus & unicuique representatur illud motivum ut certissimum, sit ut in credituris, intervenire debeat ista certitudo & evidentia moralis.

RESPONDEBIS Cum Pontio. Quòd ex iudicio probabili, possit sequi actus certus, loquendo de certitudine quàm habet ex se ille actus fidei; eò quòd proveniat ab habitu determinato ad actum, & quòd innitatur motivo formali infallibili. Et sicut prudentissimè quis credit homini, qui habetur pro veraci, quando non potest melius informari, prudentissimèque hinc & nunc adoratur hostia; ita & in præsentis prudenter exhibebitur actus certissimus fidei.

CONTRA. Hæc responsio est de termino non supponente: supponit enim quòd ille actus possit imperari, eliciendus ab habitu determinato ad actum certissimum, quòd ipsum probandum fuit. Quòd attinet ad illas instantias non convincunt. Nam de prudentia supernaturali, paritas, alibi soluta, ubi de putativè revelato; Quòd attinet ad fidem humanam, ab ista non valet instantia: quia cum non debeat certissimum actum elicere, imò nec possit, alioqui hoc ipso extra statum fidei humanæ extraheretur, hinc fit, ut possit esse contenta iudicio, nec certo, nec evidenti.

NOTO. Ad alias Eiusdem responsiones impugandas. Si constat absq; ulla dubitatione, quòd hoc sit revelatum, debet constare absq; probabilitate partis oppositæ, neque enim possibile est, quòd sit & reluceat cognoscenti probabilitas partis oppositæ, & tamen non sit dubitatio ulla. Deinde condistingui debent: prudens dubium cum dubio imprudenti, quòd imprudens dubium, recurrit quidem menti contra evidentiam motivorum credibilitatis, sed recurrit ita, ut non fundet in mente assensum, sed mereatur nonnisi repulsam & negationem assensus: qua distinctione posita, verum est, quòd talis dubitatio

(m)

non